

In caelo nunquam spectati impune Cometae. Id quod verissime dici, ex historijs patet: in quib⁹ celebre est quod circumfertur de Julio Cæsare, quem cum Astrologus monuisset ut ab Idib. Martijs sibi caveret, jamq; illæ illuxissent, *Ecce venerunt Idus Martij*, inquit Cæsar: cui Astrologus respondit: *Sed nondū præterierunt.* Quo dicto Cæsar in senatū venit, ubi miserrimè fuit trucidat⁹. I V. Maxima pars morborū cū originis tū curationis ratione est astralis ut norunt veri medici; velut morbi Lunatici, & nonnullæ species Epilepsiæ, itemq; Pestis, & alij nō pauci Mercuriales & Arsenicales morbi: qui quantam conversionem hominis vitæ, actionib⁹, & negocijs adferant, experiētia testis est. Unde maximi nominis medic⁹ Astronomiā quartam columnā Medicinæ constituit. V. Verba sunt viri doctissimi: *Ineptum est statuere tanta corpora cælestia, quæ toties terræ molem superant, & vacua esse virtutibus & operationibus.* Quidam quidem, ut ait Philosophus, quanto formæ rerum sunt perfectiores, tanto res ipse, quarum sunt formæ, nobiliores habent operationes & effectus. Homo est centrum majoris mundi, in quem omnes radij collimant & concurrunt. Hæc ille. Equidem ridiculum censeo firmamento omnem

omnem